

nente Em. Card. de Abdua, ad quorum secundum conceptum his verbis II. An liceat eidem Patribus Reformatis habere hospitium proprium in dicto loco Sancti Columbanii, seu potius debeant hospitari in conventu Minorum Observantium S. Francisci sito in dicto loco S. Columbanii? Sic fuit responsum. Ad II. Negative quoad primam partem. Affirmative quoad secundam; Sic apud Ursayam tom. 8. part. 1. discept. 40. a num. 142.

12 Patres Reformati provincie Tuscie non possunt transferre suum antiquum hospitium ad conventum S. Joannis Baptistae, alias Congregationis Fratrum Jesuatorum suppressae intra moenia civitatis Florentiae existentem, sed tenentur remanere in dicto suo antiquo hospitio, servata ejusdem hospitali forma; Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Florentina 26. Martii 1677. apud Mattheuc. Official. Curiae quoad Conventus rub. num. 23.

13 Hospitium vere, proprie dicitur illud, quod deservit, ut inquit Rota in Eysteren. Fundationis hospitalii 27. Junii 1729. §. 15. coram bon. mem. Ratio inter impressas dec. 258. num. 23. tantummodo pro recipiendis Religiosis itinerantibus, & in quo propterea nulla servatur forma regularis, non erigitur ecclesia seu oratorium formale cum janua in via publica, sed tantum oratorium internum ad effectum inibi missas; & oratorium privatim celebrandi, non administrantur sacramenta, non fiunt publicae conciones, nec divina, aliaque functiones peraguntur, non tumulantur cadavera, nec retinentur campanae, nec aliud vero conventui congruens.

14 Gravis autem est questio, an in erectione hospitalii requirantur ille ipse solemnitates requisitae in erectione conventus, de quibus verba fecimus in additione ad verbum, Conventus art. 1.

15 Negant communiter Cesp. de exem. Regul. c. 1. dub. 6. num. 1. Tambur. de jure Abbat. 1. 3. disp. 5. quest. 1. num. 10. Navar. in Summ. Bullar. part. 1. comm. 82. n. 11. Donat. in Prax. Regul. 1. 1. part. 2. tract. 1. de Monast. adif. quest. 22. n. 1. & Reg.

16 At recte Rota in dict. Eysteren. Fundationis hospitalii 27. Junii 1729. §. 16. coram bon. mem. Ratio inter impressas dec. 259. num. 24. Conclusio (alt) quod in fundatione simpliciter hospitalis non requirantur solemnitates constitutionibus apostolicis praescriptae, ad summum procedere potest quando concurrant praedicta requisita pro erectione simpliciter hospitalii, in quibus terminis loquuntur auctoritates in objecto allegatae, recus vero quando in hujusmodi locis religiosi adest ecclesia publica, pulsantur campanae, atque administrantur Sacramenta, quia tunc discrepantia eorumdem locorum a ceteris monasteriis consistit dumtaxat in palliato nomine hospitalii, & propterea si erigi possent absque debitis requisitis, Apostolica constitutiones certam edicentes formam in constructione monasteriorum servandam remaneret elusoria.

HYDROMANTIA. Vide verb. Superstitio num. 17.

HYPOTHECA, PIGNUS.

SUMMARIUM.

- 1 Hypotheca & Pignus in quo conveniant vel differant, ad num. 3.
- 4 Pignus & Hypotheca quotuplex sit, quomodo definiatur, ac dividatur, ad num. 8.
- 9 Quinam habeant & in quibus tacitam Hypothecam, ad num. 19.
- 20 Quinam possint nec ne oppignorare & hypothecare, & que oppignorati seu Hypothecae sint subjecta, ad num. 27.
- 28 Quid licitum vetitumve sit Creditori pignus habenti, ad num. 31.
- 32 Que pacta circa pignora habeantur licita, qua vero non, ad num. 40.
- 41 In pignorum venditione quid Juris Creditori competat, ad num. 44.
- 45 An quid tenetur Creditor circa pignoris custodiam, ac post debitum sibi solum, ad num. 48.

49 Subnectuntur Additiones ex aliena manu, ad num. 74.

HYPOTHECA, & pignus large loquendo, tam a Doctoribus quam a Jure saepe saepius confunduntur, nulla nisi nominis distinctio inter utrumque admissa, leg. Rec. 5. l. ff. de pignoriibus, & Hypothecis, ibi: Inter pignus autem, & hypothecam nominis sonus differt; Rota recent. part. 6. tom. 1. decis. 179. num. 78. Strictae autem, & proprie loquendo adest inter ipsa aliqua differentia, quae potissimum consistit in hoc, quod Pignus proprie locum habet in rebus, quae manu traduntur creditoribus, ideoque fere in mobilibus rebus tantum locum habet, quae creditoribus tradit solent, unde a pigno appellatum est pignus; l. Plebs 238. §. pignus, de verb. signific. ibi: Pignus appellatum est a pigno, nam res, quae pignori dantur, manu traduntur, unde etiam videre est, verum esse, quod quidam putant pignus propria rei mobilis esse. Hypotheca autem consistit fere tantum in rebus immobilibus, vel quae non traduntur creditoribus, sed penes debitorem manent, obligatae tamen creditoribus adeoque hypotheca nuda conventionem constituitur §. Item Serviana Inst. de action. ibi: Inter pignus, & hypothecam differentia est, nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quae simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam, quae sine traditione nuda conventionem tenetur, proprie hypothecae appellatione contineri dicimus. Azorius part. 3. Institut. moral. lib. 7. tract. de pignoriibus cap. 2. quest. 2. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 21. num. 2. & alii passim. Quoad effectum tamen pignus, & hypotheca non differunt, cum ex utroque eadem acquiratur creditori actio hypothecaria, vi cuius ipse creditor rem oppignoratam, vel hypothecatam, ubicumque existat, donec debitum solvarur, exigere potest: Sicuti et contra debitorem rem pignori datam potest, solum debito, iterum repetere; arg. §. Item Serviana, Institut. de action. ibi: Inter pignus, & hypothecariam quantum ad actionem hypothecariam nihil interest.

Pignus dupliciter potest summi. Primo pro re ipsa oppignorata, seu quae in pignus datur, ut patet ex totis ferme titulis ff. & C. de distract. pign. Secundo pro ipso contractu pignoratario, seu conventionem, qua res alteri securitatis gratia datur, vel obligatur; l. 1. §. fin. ff. de pactis. Pignus late sumptum est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam, ut sit pro debito obligata, & ea satisfieri possit, si aliter satisfactum non fuerit: Est in re communis. Similiter hypotheca late sumpta est contractus, quo a debitore res aliqua obligationi subijcitur pro cautione debiti erga creditorem; Est in re communis. Hinc aperte patet finis pignoris, & hypothecae, nempe major securitas creditorum, seu eorum, qui alios sibi obligatos habent; Tutius est enim pignori, qui hypothecae incumbere, quam agere in personam, textu expresso in §. Unde constat 14. Institut. de obligat. quae ex delicto, ibi: Etiam si idoneum debitorem habeat, expedit pignori potius incumbere, quam in personam agere. Et plus cautionis in re est, quam in persona, Regul. 25. ff. de regul. juris.

Pignus, seu hypotheca alia est expressa, & alia tacita; Expressa est, quae fit expressa partium conventionem de re oppignoranda, seu hypothecanda, & haec hypotheca expressa solet vocari Conventionalis. Tacita est, quae absque expressa partium conventionem a lege introducta est, atque subsistit absque omni consensu debitoris, immo etiam eo invito, & haec hypotheca solet vocari Legalis, utpote a lege constituta. Pignus, seu hypotheca expressa alia est generalis, & alia specialis. Hypotheca generalis, seu universalis est, qua quis obligat alteri in securitatem debiti cuncta sua bona, & jura; l. fin. Cod. Quae res pignori, & leg. Bonorum, 49. ff. de verb. signific. Hypotheca specialis est, qua una, vel plures res in specie, aut individuo alteri in securitatem debiti obligantur; leg. Quamvis constet, 2. & l. Quamvis eod. 17. Cod. de pignoriibus, & hypothec.

Hypothecae tacitae, seu legalis varia habentur in Jure exempla, quorum praecipua hic juvat adducere. Primo uxor habet tacitam hypothecam pro securitate do-

tis

tis allatae in omnibus bonis mariti, c. Ex literis, 5. de Pignoriibus, ibi: Cum bona viri mulieri sint pro dote tacite obligata, & cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem, & l. Unic. Cod. de rei usor. act. §. Fuerit, 29. Institut. de actionibus. Et haec tacita hypotheca videtur etiam in casu, quo maritus ob delictum privari debeat bonis, Cum, ut expresse dicitur in cit. c. Ex literis, cum mulieribus favor multus in recuperandis dotebus debeat, & cautum sit in Jure, quod propter malefictum viri mulier remanere non debeat indotata, & de facto l. 2. Cod. Ne uxor pro marito habetur sic expresse; Ob maritorum culpas uxores inquietari leges vetant. Insuper habet uxor hypothecam tacitam in bonis mariti pro securitate bonorum paraphernalium ab ipso marito administratorum. Communis, arg. leg. Ubi 29. Cod. de Jure dotium, & leg. fin. Cod. de pacti. conventi. Secunda etiam maritus viceversa habet tacitam hypothecam in bonis uxoris pro dote promissa sibi praestanda, textu expresso in l. Unic. §. 1. Cod. de rei usor. act. ibi: Damus ex utroque latere hypothecam, sive ex parte mariti pro restitutione dote, sive ex parte mulieris pro ipsa dote praestanda.

Tertio, tacitam hypothecam habent liberi prioris matrimonii in bonis tam patris, quam matris ad secundas nuptias transeuntis ratione bonorum, quae ad eos ex priori matrimonio pervenerunt: l. hac edictali 6. §. 2. & leg. Si quis prioris, 8. §. 4. Cod. de secundis nuptiis. Quarto pupilli, & minores habent tacitam hypothecam in cunctis bonis tutorum, & curatorum: leg. Pro officio, 10. C. de administr. Tutor. vel Curator. Quinto tacitam hypothecam habet pupillus in rebus ex ipsius pecuniis emptis; l. Idemque 7. ff. Qui potiores in pignore. Sexto ecclesiae, collegia, aliaque causae piae habent tacitam hypothecam in bonis Praelati, vel alterius Administratoris rerum ad similes pias causas pertinentium; Ecclesiae enim gaudent jure minoris, cap. 1. Sc. Auditibus 3. de integrum restitutione, & sic tenet Glossa in cit. c. Ex literis, §. 5. de pignoriibus verb. Obligata :: & communis Doctorum.

Septimo, tacitam hypothecam habent legatarii, & fideicommissarii in bonis a testatore relicti §. 2. Institut. de Leg. & l. 1. Communia de Legatis. Octavo qui mutuas dat pecunias pro reficiendo aedificio, habet tacitam, hypothecam in aedificio suis pecuniis relecto; l. 1. ff. In quibus causis pignus tacite, & eandem hypothecam habet in re, ad quam emendam, vel conservandam pecunias mutuas dedit; l. Qui navem, 26. §. 1. Quod quis, 35. de reb. auct. jud. possessor. Nono venditor habet tacitam hypothecam in re vendita usque dum pretium ei plene sit solutum; l. Julianus, 13. §. 8. de actionibus empti. leg. Quod si 31. §. 8. ff. de Edit. edict. & l. haeredit. vendit. Decimo locator habet tacitam hypothecam in omnibus a conductore in domum, vel praedium illatis, & investis, non tantum pro pensione, sed etiam pro deterioratione rei locatae, l. 2. ff. In quibus causis pignus; & concordat l. Eo jure, 4. ff. eod. Undecimo tacitam hypothecam habet Fiscus in bonis contrahentium cum eo, vel conducentium quid ab eo, & in bonis suorum Officialium & Administratorum; l. 1. & 2. C. In quibus causis pignus tacite, & l. Auferunt, 46. ff. de jure Fisci, ibi: Fiscus semper habet jus pignoris.

Absdubio tutor, & curator oppignorare minorum bona, eaque hypothecare valent; attamen non absolute: proindeque cum restrictione doctrina Auctoris veniet intelligenda. Si talia bona, sive res sunt movibiles, omnimodo patris legibus est conformis: (1) at vero si de immobilibus sit sermo, perneccesse requiritur Judicis decretum (2) quacumque legitima causa fiat.

(1) L. 8. tit. 13. p. 5. Ibi: Otrosi decimos, quae aquel que tiene en guarda los bienes de algud huerfano, si oviere menester de empeñar alguna cosa dellos, por pro de aquel que tiene en guarda, que lo puede facer de las cosas muebles, metiendo todavia en por del mozo los maravedis que tomare sobre los pesos.

(2) L. ead. Ibi: Mas las otras cosas que son raiz, no las puede empeñar sin otorgamiento del judgador. L. 18. tit. 16. p. 6. Non deben los guardadores dar, nin vender, nin enagenar ninguna de las cosas del huerfano,

(Omnia nunc usque tradita per leg. 1. 13. 14. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & 30. tit. 13. p. 5. 6. tit. 19. lib. 3. For. Reg. leg. fin. in fin. glo. 6. 7. 8. tit. 16. p. 6. 17. t. 11. p. 4. 1. glo. 2. & 4. cum leg. 5. tit. 8. p. 5. ac denique 8. tit. 18. lib. 9. Recop. Cast. confirmationem merentur; non ambigitur discrimen, si cum eisdem decisionibus exposita conferantur, aliquid notari, in illis praesertim quae ex n. 1. ad 3. explicantur, utpote per Auctorem exacta fit inter pignus & hypothecam distinctio, & per nostras leges praedicta nomina promiscue accipiuntur.)

Hypothecare, & oppignorare possunt omnes illi, qui rerum suarum liberam administrationem habent l. 2. & 6. ff. Si res aliena pignori. Item tutor, & curator potest oppignorare, & hypothecare res minorum, & pupillorum pro eorumdem utilitate; leg. 3. Cod. Si aliena res, l. Tutor. 16. ff. de pignori. acti. Oppignorare, & hypothecare etiam potest procurator, vel negotiorum gestor, si ad hoc speciale mandatum habeat; l. Solutum, 11. §. fin. ff. de pign. action. vel si habet mandatum generale cum libera potestate, cit. leg. Solutum, & leg. Procurator cui, 59. ff. de procur. Praelati, & Rectores ecclesiarum, quamvis non possint absque Juris solemnitate res ecclesiasticas alienare, prohibitas hypothecari hypotheca speciali, ut expresse habetur in cap. Nulli, 5. de rebus eccles. non alienand. ibi: Neque specialis hypotheca titulo obligare; possunt tamen absque Juris solemnitate talia bona ecclesiae pro ejusdem, non item pro propria utilitate, hypothecare hypotheca generali, arg. a sensu contrario desumpto ex citat. cap. Nulli 5. de rebus Eccles. non alienand. Hoc enim ipso, quod ibidem prohibetur sola hypotheca specialis, ut patet ex adductis verbis, concessa censetur hypotheca generalis, ut recte argumentantur, & tenent Abbas in citat. cap. Nulli num. 3. Joann. Andr. ibidem num. 1. & cum aliis Fagnan. ibidem num. 30. & seq. Covarrub. varior. resolut. cap. 16. n. 7. Molina disp. 466. num. 1. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 10. num. 2. Azorius part. 3. lib. 7. cap. 5. quest. 4. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 13. num. 5. & tit. 21. num. 16. Reiffenstuel ibidem num. 34. & alii passim; & ratio est, quia per hypothecam generalem non ita facile deveniri potest ad alienationem, seu venditionem rei generaliter solum obligatae, seu hypothecatae, sicuti per hypothecam specialem, per quam plus juris transferuntur in creditorem cum periculo eam alienandi. Et hanc sententiam testatur Fagnanus in citat. cap. Nulli 5. de rebus Eccles. alienand. vel non num. 32. probasse suo tempore Sacram Congregationem Concilii in contractibus Regularium. Nam proposito dubio an in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis comprehendatur generalis hypotheca; Sacra Congregatio censuit non comprehendendi, & tamen prohibito illa fuit concepta iisdem verbis, quibus utitur Paulus II. in Extravag. Ambitione 2: Haec ille, qui ex multis probat hypothecam generalem bonorum Ecclesiae in casu permissio posse fieri a Rectoribus Ecclesiarum etiam sine licentia Episcopi; Vid. verb. Alienatio, art. 4. num. 35. & 36.

(Per leg. 7. 8. 9. & 10. ejusd. tit. 13. & p. 5. praecedentia astruuntur: inter ea, quae sunt a procuratore, tutore vel curatore, discretio advertitur: absque domini mandato pecunias sub pignore illo recipiente, creditoribus re-

re-

que sea raiz. Fuera de si lo ficieren alguno por pagar las deudas que oviese dexando el padre del huerfano, ó por casar alguna de las hermanas del mozo, ó por casamiento del mismo, ó por otra razon derecha que le oviese de facer, non lo pudiendo escusar en ninguna manera. E aun estonce non lo puede facer sin otorgamiento del Judgador, é el Juez lo debe otorgar, si entendiere que tal enagenamiento se face por algunas de las razones dichas. Vid. verb. Emptio.

retentio competit, dummodo eadem essent in domini voluntate conversæ: pignore non tradito, licet ad eam recuperationem possit intendere, actionemque instituire, nequitiam ad pignoris traditionem; clausula cum libera quid operetur, vid. l. A pag. 157. verb. Ubi discrimen: ibi declaratur, præter in mandato expressum, nil effici valere: Ad idem lex 20. tit. 12. p. 5. dirigitur. Circa ceterorum facultates, recognoscendum venit lit. A ex pag. 85. ad 94. præcipue in add. nov. pag. 87. cum infrascripta hisp. add. insertum.)

26 Res omnes, quæ emi, & vendi possunt, etiam hypothecari, seu oppignorari possunt; leg. Sic & quod 9. ff. de pignoris, ibi: Quod emptionem, venditionemque recipit, etiam pignorationem recipere potest. Et sic è contra res, quæ emi, & vendi nequeunt, hypothecari, seu oppignorari etiam non possunt; leg. 1. §. 2. ff. Quæ res pignori. Res aliena hypothecari, seu oppignorari non potest absolute; l. 6. Cod. si aliena res pignori, ibi: Per alium rem alienam invito domino pignori obligari non posse certissimum est. Potest tamen res aliena oppignorari, seu hypothecari conditionate, nempe sub conditione: Si acquisivero; l. Si fundus §. 7. de pignoris, ibi: Aliena res utiliter potest obligari sub conditione si debitoris facta fuerit. 28 Creditor pignus habens potest illud alteri oppignorare; l. 1. Cod. Si pignus pignori datum. Creditor inscio, & invito debitor non potest uti pignore, & si utatur, furtum committit, actioneque furti conveniri potest, pro quanto aestimatur usus illius habitus; l. Qui jumenta, 49. l. Si pignore. 34. ff. de furtis, ibi: Si pignore creditor utitur, furti tenetur. Fructus ex pignore percipere potest creditor; sed dein debet ipsos in sortem computare; ita ut tantum minuat de debito, quantum percepit de fructibus ex pignore; Immo totum debitum extinguatur, pignusque restitui debeat, statim ac fructus percepti totum debitum exaquant, & insuper, si fructus percepti superent debitum, debent restitui cum pignore etiam excessus fructuum perceptorum, textu expresso in l. 1. Cod. de pignor. Actio. ibi: Ex pignore percepti fructus imputantur in debitum, qui si sufficit ad totum debitum, solvitur actio, & redditur pignus; si debitum excedunt, qui supererunt, redduntur. Et c. Cum contra 6. de pignor. ibi: Cum secundum canonicas sanctiones fructus restitui, & in sortem debeant computari.

Immo Creditor modo supradicto, nedum computare debet in sortem fructus perceptos, sed etiam illos, quos ex tradita sibi re oppignorata percipere potuisset, & culpa sua non percepit, textu expresso in leg. Creditor, 3. Cod. de pignor. actio. ibi: Creditor, qui prædium pignori nexum detinuit, fructus, quos percipit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet, & concordat l. 2. Cod. de pactis pignor. & tenent Glosa in cit. cap. Cum contra 6. de pignor. verb. Perceptum; & ibidem Abbas num. 9. Molina tract. 2. de furtis. disp. 555. num. 3. Azorius part. 3. lib. 7. c. 8. quest. 2. Pithing. lib. 7. Decretal. tit. 21. n. 19. Reiffenstuel ibidem num. 48. & alii communiter contra Hostiensem in summa de pignoris num. 9. Et ratio est, quia fructus rei fructiferæ æque ac ipsa res censentur oppignorati, & constituunt cum re unum pignus; l. Quamvis, 3. Cod. in quibus causis pignus; Molina loc. cit. num. 3. Layman lib. 3. tract. 4. c. 30. num. 8. & alii citati.

(Leges 2. 8. & 16. ejusd. tit. 13. §. p. 5. cum add. hisp. nov. lit. G pag. 149. col. 1. antecedentia confirmant, Mente retineatur per leg. dict. 8. asserti, quod obligatio pignoris rei alienæ tunc contrahitur, si scienti sit pignoratata, & tradita, dominio postea acquisito: non tradita, non est contractus, ut ejus recuperatio medietur: si ignoranti, & dominium fuerit quæsitum, sustinetur; si expresse consensus dominus, aut tacuit (leg. 9.) dum hypothecæ subijcebat, subsistit. Referuntur in seqq. leg. videlicet 3. 4. & 5. ejusd. tit. 13. c. p. 5. atque leg. 5. tit. 19. lib. 3. For. Reg. quæ nequeunt oppignorari; inter eas res sanctæ sacræ, & religiose numerantur: homo liber, nisi pro captivitate redemptione iste, pro pace conservanda, pro patris necessitate (vid. lit. A pag. 109. col. 1. in add. nov.) filius obligatur: animalia, & instrumenta aratoria etiam dari pignori non licet: contraven-

tores ad damna, & interesse hac de causa provenientia tenentur: ad idem lex 25. & 28. tit. 21. lib. 4. Recop. in qua ea omnia ab executione excipiuntur, nisi pro regalis redditibus, dominicalibus, & ceteris à fundi domino in ejusdem culturam præstitis agatur, verumtamen jurgum semper reservatur, quod quidem, dum de decimarum exactione, sive coloni fuerint, aut earum conductores, tractatur, locum (leg. 26. ejusd.) non habet; cum præcedenti assertionem consonant leg. 7. & 8. tit. 12. lib. 5. Ord. Reg. 5. & 6. tit. 17. lib. 5. Recop. Cast. Conducit etiam lex 25. tit. 13. lib. 8. ejusd. Numquam quæ usui domestico tam diurno quam nocturno necessaria æstimatur, corporique inserviunt, debere pignori subijci per leg. 5. ejusd. tit. 13. §. p. 5. decernitur; arma & equi debitorum exemptionem quoque patiuntur: sed in præcedentis assertionis intelligentia caute est procedendum, nam juxta leg. 23. tit. 21. p. 2. 3. tit. 27. p. 3. §. 5. tit. 2. lib. 4. Ord. Reg. 4. tit. 16. 6. tit. 17. lib. 5. 9. tit. 1. 3. 4. §. 5. tit. 2. lib. 6. Recop. Cast. solum equi, & nobilium arma excepti ostenduntur; inter eos exempti judicantur omnes, qui eisdem indigent pro necessario sui muneris adimplemento, ut in militibus, regia gazæ custodiis, & similibus accidit.)

Pañum Antichristos contractari pignoris adjectum (quo nempe inter creditorem, & debitorem convenitur, ut donec debitum solvatur, creditor pignore uti, & fructus ex ea percipere valeat,) est illicitum, & usurarium. Communis arg. cap. Plures Clericorum 1. §. cap. Quoniam 2. de usuris; ubi clare deciditur, quod si usura lucrifacere fructus rei oppignoratæ, & insuper præcipitur fructus restitui, & in sortem computari; Et ratio est, quia quævis res domino suo fructificat, dominus autem pignori est debitor, & non creditor; l. Pignus; Cod. de pignor. actio. mutans enim non fit dominus pignoris; adeoque usurarius, & iniquus est si fructus capiat ex eo, cum tales fructus percepti ex pignore sint revera ultra sortem, ultra quam aliquid recipere ratione mutui est proprie usura. Sic etiam in contractu pignoris pactum legis commissorie (quo nempe debitor cum creditore convenit, ut si intra certum tempus debitum non fuerit solutum, pignus dein ad creditorem pertineat; vel in solutum pro debito, vel in venditum pro certo pretio) est illicitum, & usurarium, textu expresso in l. final. Cod. de pactis pignorum; & Lege commissorie. §. cap. Significante, 7. de pignoris; Et ratio est, quia pignus ordinarie est majoris valoris, quam creditum; nemo enim accipit pignus minoris valoris, & equalitas sæpe attingi non potest. Unde ad vitanda hujusmodi pericula injustitiæ, & usuras palliatas, atque gravamina maxima debitorum, tale pactum simpliciter reprobat. (Conducit lex 16. tit. 13. p. 5. 31. tit. 11. ejusd. p. vid. verb. Usura.)

Licitum autem est pactum, quo debitor cum creditore ita paciscitur, ut si intra præfixum tempus solutio facta non fuerit, tunc pignus creditori sit venditum pretio justo traxando secundum æstimationem prudentis viri, reddito excessu debitori, textu expresso in leg. Si fundus, 16. ff. de Pignor. & communis Doctorem. Sic etiam justum est pactum adjectum pignori, ut si debitor in mora solvendi sit, v. g. intra biennium non solvat, possit creditor pignus, vel hypothecam statim distrahere, & alii vendere, & quod de recepto pretio reliquum est supra debitum, debitori restituat; leg. Si convenit. 4. ff. de pignor. actio. & l. final. §. 1. Cod. de Jure domini. empt. Communis. In quo utroque casu non est opus, ut creditor debitorem de solutione prius moneat; leg. Magnum, 12. de contrah. & committ. epital. & c. Potuit, 4. de Locato, & conducto, ibi: Non obstante quod ei, ut canonem solveret, non existit nunciatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellat. Si oppignoratio facta est sine pacto ullo de vendendo pignore, vel non; tunc potest quidem creditor pignus vendere, sed debet præmittere unam saltem mentionem, ut debitor solvat, & post hanc per biennium expectare, quo elapso, si debitor non solverit, pignoris venditio legitima, & justa fit, textu expresso in cit. leg. final. §. 1. Cod. de Jure domini. empt. Communis. Si oppignoratio facta sit cum pacto, ne ven-

datur, vendi nihilominus potest post biennium, sed non nisi trina monitione de solvendo prius præmissa; cit. l. Si convenit, 4. ff. de pignorat. act. Communis. Creditor pignus vendens non potest illud sibi ipsi emere, ne quidem per interpositam personam, nisi de licentia Judicis, si nullus alius velle pretium justum etiam infimum offerre; leg. Et qui, 10. Cod. de distraction. pignor. (Et num. 36. recensita nam obtinent firmitatem, nostris legibus conlata. Ad num. 1. leges 41. tit. 5. 12. tit. 13. p. 5. consonant: ceterum per easdem etiam asseritur, pactum non valere si convenerit, debito ad diem certam non soluto, pignus esse creditoris: cum numer. 37. & 38. expositis earum convenit dispositio; certum est, proponi ad Auctore opus non esse, ut in casibus præcedentibus de solutione creditor debitorem moneat, sed jure hispano contrarium determinari videtur: per leg. 1. tit. 19. lib. 3. For. Reg. absque distinctione, an sit vel non tempus in pignoris solutione præfixum, debitorem esse denuntiandum, ut satisfaciatur antequam pignus distrahatur, statuitur: ut si trium dierum termino post denuntiationem non luat, præsentibus tribus testibus, judicisque præcedente decreto, potest res vendi pignoratata, publice eam licitando: per leg. 41. tit. 5. & 12. tit. 13. determinatur, quod si pignus fuisset ad diem certam constitutum, & de ejus venditione pactum intercesserit, ut fiat creditoris pro eodem pretio, intra prædictum tempus pretio secundum peritorum judicium non soluto, conventio non sustinetur: per leg. 41. tit. 13. ejusd. p. præfixitur creditorem propter conventionem, posteaquam dies determinata elebatur, posse pignus vendere previa monitione, si præsens fuerit, debitori facta, si absens, ad ejus domum, ex tuncque, si bona fide, & sine dolo publice vendatur, haud nequit subsistere: quod superest, facta contractus solutione, est debitori restituendum, sicut creditor, quod in pretio, re vendita, defecerit, ab eodem recuperabit; per leg. 42. tit. 13. ejusd. stabilitur, sine temporis præfixitione rem pignori datam vendi posse, sed requirendus debitor, antequam venditio perfici intendatur: nullo adest impedimento ut sic fiat, transactis post requisitionem in re movibili duodecim diebus, in immovibilibus triginta: per eandem stat quoque resolutum, si conventio præcesserit ne pignus vendatur, observantiam retinere ab Auctore num. 40. præscriptum, dummodo etiam concurrat bona fides, absit dolus, & fiat publica subhastatio; iis præcongniti, mihi videtur, non absolutam dari inter prædictas decisiones oppositionem, nam quamvis melius esset, legis Fori sequi dispositionem, utpote omnem suspicionem tollit quod judicis auctoritate interveniente fit, pro competo habetur, quando tempus signatur, pro homine diem (vid. pag. 61. lit. D. & lit. E. pag. 223. in princip. col. 1.) interpellare, moram suam cuilibet esse nocivam, & eum, qui certus est, cerciorari (vid. lit. A pag. 138. num. 20.) amplius non oportere; nihilominus cum indispositionibus, ubi non decernitur, an sit necne necessaria debitoris præmonitio, requiritur pernece in rerum æstimationem arbitrium boni viri, statim in mentem venit, venditionem fieri non posse, nisi præmonitio antecedit, eo quod consentaneum non videtur, per æstimatores rei fieri taxationem, absque eo quod de persona ad similem æstimationem efficiendam nominata notum fiat debitori: per consequens, licet denuntiatio ad venditionem non præcisè consideretur, ad dictam æstimationem insuper haberi non debet, sine cujus antecedenti ad illam devenire regulariter non valebit; assensus sui prebeatur ut non supra proxime insertis, non est obliviscendum, ex conventionem legem contractus accipere, si talis conventio neque legibus, neque bonis moribus repugnet: (leg. 38. tit. 5. 12. tit. 13. p. 5. vid. verb. Assecrator, & Emptio, in add. nov. hisp. cum verb. Pactum) Ad num. 41. consonat lex 43. ejusd. tit. 13. §. p. 5. quia per eam disponitur, judicis auctoritate rem oppignoratam a creditore emi posse, & addidit etiam, idem effici valere, debitore consentiente.)

42 Creditori hypothecario competit jus prelationis præ creditoribus non specialiter privilegiatis; leg. Si Debitor 10. ff. de pignoris. Si autem eadem res fuerit pluribus oppignorata, inter ipsos creditores hypothecæ, potior est in jure, qui prior est in tempore, etiamsi secundo creditori res non tantum obligata, sed etiam in pignus actualiter tradita sit; l. Qui generaliter, 2. ff. Qui potiores in pignore; l. Licet 7. Cod. eod. & leg. 8. C. eod. & leg. 12. ff. eod. (Dummodo a debitore debitum recuperare non possit (leg. 14. tit. 13. p. 5.) quia tunc contra rei possessorem actio in judicio est videam cum leg. 31. 32. & 44. ejusd. tit. & p. Perlegatur add. verb. Bona, ver. Generalitas: verb. Restitutio in integrum art. 4. ver. Quod & Super: add. hisp.) Nec refert, an prior creditor habeat hypothecam specialem, vel generalem; cit. l. Qui generaliter 2. ff. Qui potiores in pignore, & l. Si generaliter, 6. Cod. eod. In pignore eodem tempore pluribus constituto, præcedit ille, qui pignus possidet, & si nullus possidet, æquali jure utuntur; leg. Si Debitor, 10. ff. de Pignoris.

Creditor tenetur pignus sibi traditum exacta diligentia tueri, & conservare; leg. Ea 14. ff. de pignorat. act. Aliter si dolo, vel culpa lata, aut levi ejusdem (non item levissima) pignus perit, vel deterioratum est, resarcire tenetur §. 4. Institut. Quibus modis re contrah. obligatio. Creditor debito sibi soluto tenetur pignus restituere; cit. §. 4. Institut. Quibus modis re contrah. obligatio. Immo, una cum pignore tenetur creditor restituere etiam omnes fructus ex pignore perceptos, cum ipsi fructus debeant in sortem computari ex l. 1. C. de pignor. act. juxta textum allegatum sub num. 30. Potest tamen creditor detrahere expensas, quas fecit in tuendo, custodiendo, & meliorando pignore; l. Creditor 7. Cod. de pignorat. act. ibi: Creditor autem necessarios sumptus, quos circa res pignoratitas fecit, exigere non prohibetur. (Ad rem vid. verb. Culpa, & leg. 16. & 31. ejusd. tit. 13. p. 5. cum 19. & 20.)

De pignoris, ac hypothecis parce hic agit Auctor, neque in verbo Pignus aliquid addit. Materia autem hæc in foro est frequentissima, quæ propterea plenioris exitu tractanda est. Hypotheca vel est expressa, vel est tacita. De tacita, ut hic pro dignitate disseramus, est illa, quæ sine expressa conventionem, ob præsumptam voluntatem partium, vel aliam justam causam a lege constituitur. Ob præsumptam voluntatem partium hypotheca tacita datur. l. ex Senatusconsulto, quod sub Marco Imperatore latum est, Creditori, qui pecuniam ob restitutionem ædificii extruendi dedit, l. 1. ff. In quibus caus. pign. vel hypoth. tacite contrahatur, l. 24. §. 1. de reb. auct. judic. possidend.

Quæ ad eum quoque pertinet, qui Redemptori Domino mandante ministravit. Legib. mox citatis. Non item ad illos, qui ad novum ædificium extruendum, vel emendandum, pecuniam crediderant, l. 17. Cod. de Pignor. l. 7. Cod. Qui pot. in pignor. Novell. 136. cap. 3.

An illis competat tacita hæc hypotheca, qui ad navem, vel aliam rem debitoris conservandam, rescindendam vel restituendam: crediderunt, non conveniunt Auctores. Affirmant Rauch. lib. 1. quest. 5. num. 1. & 6. Carpzov. Jurispr. Forens. part. 2. constitut. 28. desin. 105. Mey. decis. 84. part. 5. Negant vero Bachov. ad Threutor. vol. 2. disput. 24. thes. 7. Lauterbach in disp. de tacit. pignor. thes. 25. Harprecht. in Comment. ad Jus Baden. part. 4. thes. 69.

Nota vero, quod hypotheca concessa propter conservationem rei non habet locum nisi in ipsa re; Confer Lauterbach in Colleg. pract. ad Titul. in quibus caus. & c. §. 76.

II. Datur hypotheca tacita ob præsumptam partium voluntatem locatori in iis, quæ in prædium urbanum non rusticum, ut ibi perpetuo sint, invecita, & illata; l. 2. 3. 4. 5. in princ. 6. 7. §. 1. ff. In quib. caus. & c. Leg. 5. & tit. C. eod.

Quæ & in invecitis, & illatis secundum conductoris locum habet, l. 11. §. 5. ff. de pignor. act.

Ab hac vero tacita hypotheca excipit alios allegans Linglos. decis. 46. quest. 5. n. 1. libros Doctorem, & Studen-

denium, arma & equos militum, necnon operariorum instrumenta fabrilis, sine quibus vitam diu operarii sustentare non possunt, vestem, & suppellectilem patris familias, cuius nomine venire ea autumat, quæ refert Jurisconsultus in Leg. 1. 2. 3. & alius seq. ff. de Supell. legat. itemque aratra, ligones, vomeres, boves, & universa quæ ad agriculturam pertinent.

59 Num autem ab hac hypotheca tacita excipienda sint bona venalia in domum illata, tum illata, in tabernam, dissentiunt Doctores, Vide affirmantes & negantes Doctores apud Speidell. Locuplet. lit. P. art. 2. de tacit. hypothec. Locat.

60 Conducente vero patre-familias pro se, & familia sua ades, hypotheca hæc tacita locum non habet in rebus paraphernalibus uxoris, bonis castrensibus, & adventitiis liberorum, vel famulorum, Lauterbach. in disp. de tac. Pign. thes. 12.

61 III. Datur hæc hypotheca tacita ob præsumptam voluntatem partium locatori in fructibus, qui in prædio rustico nascuntur, Leg. 7. in princip. ff. Qui in caus. & c.

62 Circa vero præsumptam voluntatem partium sola legis dispositione Hypotheca tacita datur I. Fisco ratione tributum in bonis eorum qui censentur, Leg. 1. Cod. Quib. in caus. & c. Leg. 1. C. Si propt. publ. pen. in bonis nequam vero eorum qui ex delicto ad poenam obligati sunt, Leg. 17. & 73. ff. de Jur. Fise. contrarium licet tenent Lincker. decis. 643. tum in bonis debitoris principalis ejusque uxoris, Leg. 4. Cod. Quib. in caus. & c. & demum in bonis Administratoris Fiscalis. Leg. 1. Cod. de privileg. Fiscal. tit. C. Si propt. public. pen. Tenet vero Merend. l. 2. contr. Jur. cap. 27. tacitam hanc hypothecam non incipere à tempore coeptæ administrationis, sed à tempore actus quo Fiscus læsus fuit.

63 Sola legis dispositione datur II. hæc hypotheca tacita reipublicæ, civitati, ecclesiæ in bonis Administratorum, argum. L. 20. C. de Admin. Tutor. junct. L. 3. de Jur. Reipubl. L. 23. §. 1. C. de Sacrosanct. Eccles. non etiam uti creditrici in bonis debitorum L. 2. C. de Jure reipubl. L. 8. C. Qui pot. in l. 1.

64 Hanc vero hypothecam minime competere collegiis Opificum in bonis Administratorum tradit Schilter. in prax. Jur. Roman. exerc. 33. §. 28.

65 IV. Sola dispositione legis tacita hæc hypotheca competit liberis prioris matrimonii in bonis Vitrici ratione tutelæ maternæ, si scilicet mater, alio tutore non petito, neque rationibus redditus, ei nuperit, L. 6. C. Quib. in caus. & c. in bonis parentum ad secundas nuptias transeuntium ratione eorum, quæ ex priori matrimonio ad eos pervenerunt, L. 6. §. 2. C. de secund. nupt. in bonis patris ratione bonorum maternorum aliorumque adventitiorum, quæ pater administravit, L. 6. §. ult. C. de bon. quæ liber. L. 8. §. ult. C. de secund. nupt.

66 V. Sola legis dispositione datur hypotheca tacita pu-

illis, & minoribus, eorumque hæredibus in bonis tutorum, & curatorum, leg. 20. C. de Administr. Tur. leg. 19. §. 1. de reb. auct. Jud. possid. Novell. 22. c. 40. in rebus pecunia eorum emptis, l. 7. ff. Qui pot. in pign. non item aliis, l. 17. C. de pign. leg. 7. C. Qui pot. in pignor.

Incipitque hæc hypotheca tacita, quæ competit pupillis & minoribus in bonis tutorum, & curatorum, non à tempore malæ administrationis, sed à tempore suscepti muneris; Bachov. de pign. lib. 1. cap. 9. n. 5. Lauterbach. in dict. disp. de tacit. pignor. thes. 37.

Sola legis dispositione datur V. tacita hypotheca marito pro dote præstanda in bonis ejus, qui dotem promisit, L. unic. §. 1. de rei Uxor. aff.

De eo quæri solet, an & furiosis, mentecaptis, surdis, & mutis tacita hypotheca competat in bonis suorum tutorum? Negat inter alios Lauterbach. in disp. de tacit. pignor. thes. 35. Affirmat Bardell. exercit. 2. concl. 39.

VI. Dispositione sola legis hypotheca tacita datur uxori pro dote repetenda in bonis mariti, ejusque, qui dotem suscepit, dict. L. unic. §. 1. C. de rei uxor. aff. ut & pro dotis augmento, Nov. 97. cap. 2. paraphernis, L. ult. C. de pact. convent. & donatione propter nuptias, L. 29. C. de Jur. dotium.

Datur VII. Sola dispositione legis tacita hypotheca legataris, & fideicommissariis pro legatis, & fideicommissis consequendis in bonis testatoris, L. 1. C. Commun. de Legat.

VIII. Datur tacita hypotheca sola legis dispositione Redemptori in persona ab hostibus capta, & redempta pro pretio redemptionis, L. 15. ff. de Captiv. L. 2. C. de postlim. reor. L. 20. §. 2. ff. Qui testam. fac. poss. L. 43. §. ult. ff. de Legat. 1.

Hi sunt casus certi, in quibus sola dispositione legis hypotheca tacita locum habet. Non sum autem necesse esse Doctores, qui eam ad alios casus extendunt. Vide de iis quid senserit Stryk. in usu Modern. Pandect. l. 2. tit. 2. §. 7. & plur. seq. Confer etiam Speidell. Locuplet. lit. P. art. de var. hypothec. & Auctores ab eo allegatos.

Tenent nonnulli in hoc differre hypothecam tacitam ob præsumptam voluntatem partium ab hypotheca tacita sola legis dispositione, quod hæc locum sibi vindicat non obstante, quod agatur de pupillis, minoribus, &c. qui bona sua hypotheca subjicere nequeunt, illa vero nequam locum sibi vindicare possit, si de mox dictis personis res sit. Vide Bachov. de pign. lib. 1. cap. 9. n. 13. & rursus cap. 11. num. 1. & seq. Impugnatur vero Bachov. alioque ejus Asseclas Witsenbach. in disput. 39. Pandect. lib. 20. thes. 1. §. 19. (Nihil hic addendum occurrit, additione num. 19. præsertim, quia omnia fere per eam comprobantur.)



J JEJUNIUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt jejunii esse, obligationem, modum, & tempus.

SUMMARIUM.

- 1 JEJUNIUM unde dictum, & quadruplex, ad num. 17.
- 18 Præceptum jejunii obligat sub mortali diebus ab ecclesia præscriptis.
- 19 Jejuniium quomodo ab ecclesia sit determinatum quoad tempus, tamen non est solum de præcepto positum

ecclesiæ, sed de implicita præordinatione divina fidelibus demandatum.

- 20 Diebus Dominicis quomodo ex se licitum esset jejunare, tamen dignis de causis statutum est ab ecclesia non esse in ipis jejunandum.
- 21 Affertur decretum Sacre Congregationis Supreme, & universalis Inquisitionis prohibens jejunium etiam ex devotione diebus Dominicis & festis solemnibus.
- 22 Consecratoria quedam ex prædictis afferuntur.
- 23 Si vigilia S. Joannis, cadat in festo Corporis Christi, anticipandum est jejunium feria 4.
- 24 Idem declaratum est pro vigilia S. Antonii de Padas.
- 25 Si Vigilia cum jejunio occurrat in festo solemnibus alicujus patroni principalis, potest licite ab Episcopo fieri commutatio jejunii in die præcedenti.

Non

- 26 Non potest tamen auctoritati Episcopi anticipari Vigilia S. Mathie, etiamsi occurrat ultima die Bacchanalium.
- 27 Fratres Minores tenentur ad præceptum jejunii feria 6. occurrente in die natalis Domini.
- 28 Alii tamen defendunt contrarium.
- 29 Sed tamen immerito, ac idem, quod dictum est pro Fratribus Min. valet pro quocumque habente votum jejunii.
- 30 Moniales S. Clare non tenentur nunc sub mortali ad jejunia Regule, scilicet Adventus, & Feria sextæ.
- 31 Dispensatus circa esum carniū ob debilitatem virium, & ad eas recuperandas, est etiam dispensatus à jejunio.
- 32 Non sic tamen est dispensatus à jejunio, qui est dispensatus, quia cibi &c. jejunaes sunt ei nocivi, seu nauseales.
- 33 Colligitur hoc aperte ex bullis, & editis Summorum Pontificum.
- 34 Affertur editum de ordine Clement. XI. editum, & duplex Breve Benedicti XIV. & offerunt etiam validissima ratio.
- 35 Post hæc emanavit alia ejusdem Benedicti XIV. explanatio, & declaratio, quæ ad litteram affertur.
- 36 Qui frangit jejunium sapius comedendo carnes, peccat mortaliter toties, quoties comedit carnes.
- 37 Quomodo autem peccet, qui frangit jejunium sapius comedendo cibos licitos, variant Doctores.
- 38 Jejunium non frangitur pro sumptione factas, non per modum cibi, vel refectiois, sed per modum medicine, vel potus.
- 39 Sic pariter non frangit jejunium bibere extra tempus refectiois quæcumque purum potum, etiam vinum, cerevisiam, mulsum, etiamsi fiat non præcio ad sedandam sitim, sed etiam aliquoties ad sedandam famem.
- 40 Jejunium non frangit, & licita est sumptio Caffæ, Thei, & Cochlearii in die jejunii, quando illa sumuntur medicinaliter.
- 41 Si tamen sumantur non medicinaliter, variant Doctores, & præsertim de Cochleario.
- 42 Collatio vespertina etiam ad nutritionem sumpta, est licita.
- 43 Pro qualitate ciborum in hac vespertina collatione recommendantur variant Doctores.
- 44 Sic etiam variant Doctores pro quantitate.
- 45 Probabilius modica, & licita quantitas pro collatione vespertina à vespere censetur quarta, vel quinta pars cæne ordinaria. Ad dicendum 4. vel 5. uncias; & attendendum Apostolicæ decisioni Benedicti XIV. in responsione ad dubium sub hoc numero allatum.
- 46 Tempus ordinariæ collationis est vespertinum, unde qui eum commutat sine justa causa, sumendo mane collationem, & vespere prandium, peccat saltem venialiter, & vespere prandium, peccat saltem veniale tantum.
- 47 Immo varii censent probabile nequidem peccare venialiter, etiamsi hoc faciat sine speciali causa.
- 48 Tempus ordinariæ prandii scilicet horam sextam proximam meridiei, notabiliter v. g. per unam, vel alteram horam anticipare absque causa, varii graves Doctores volunt esse peccatum mortale; communior tamen, & probabilior sententia tenet esse veniale tantum.
- 49 Si vero aliqua justa causa subsit, nullum erit peccatum ne quidem veniale.
- 50 Sicuti nullum est peccatum in privilegiatis, ut in Religiosis, qui per privilegium etiam sine causa possunt una hora anticipare.
- 51 Prandium interrumpere, seu dividere in die jejunii sine justa causa non licet.
- 52 Justa tamen interveniente causa, ut paupertas, officium, negotium, licet.
- 53 Sic non peccat, qui inter prandendum garriv, nugatur, nova nuntia legit, & hujusmodi, si tempus refectiois non excedit duas horas.
- 54 Item si quis prandium finierit, & mappulam plicarit

cum proposito nil amplius comedendi, seu surrexerit & menra, etiam gratis actis, potest intra quadrantes circiter mutata voluntate iterum assidere, & comedere.

55 Item qui mensam relinquit in uno loco intendens absolvere in alio, ubi expectatur, non peccat saltem graviter, dummodo prandium non excedat duas horas, vel intervallum quadrantes circiter.

56 Prandium protrahi potest licite ad duas horas, non autem ultra.

57 Qui mane culpabiliter sumpsit jentaculum æquivalent refectiois, tenetur illo die abstinere à refectiois; Esti jentaculum sumptum modicum fuerit, tenetur abstinere à collatione.

58 Qui inculpabiliter per inadvertentiam sumpsit mane jentaculum sufficiens ad prandium, non potest amplius illo die prandere, sed solum vespere sumere collationem.

59 Qui iter facturus mane prandit, & postea mutatis rebus iter non agit, non potest amplius illo die prandere, sed solum vespere sumere collationem.

60 Qui post prandium sumpsit aliquid cibi, tanto minus debet postea sumere in collatione; & si quasi ad tempus collationis sumpsit cibum æquivalentem ad ipsam, debet illo die omnino abstinere ab illa.

61 Qui frangit jejunium multiplici præcepto ex eodem motivo imperatum unicum tantum specie, & numero peccatum committit.

62 Idem probabilius dicendum est de Franciscanis non jejunantibus feria 6. quatuor temporum cadente in vigilia, & Quadragesima.

63 Violatio autem ejusdem jejunii ab ecclesia præcepti, à Superiore imperati, à Confessario pro penitentia injuncti, & voto debiti, habet quatuor distinctas species malitias.

64 Violatio jejunii per comestionem carniū distinguitur specie à violatione per comestionem lactificiorum, & ovorum.

65 Statuens deliberate per totam Quadragesimam non jejunare, vel non jejunans quot peccata committat.

66 Qui statuta die non jejunavit sive inculpabiliter, sive culpabiliter, non tenetur postea jejunare alia die, & an, & quando jejunium anticipare debet.

67 Peccant mortaliter etiam qui ad frangendum jejunium alitis proximæ cooperantur, inducunt, aut cum possunt, & debeant, non impediunt.

68 Jejuniium ex voto, vel præcepto majoris est meriti, quam ex electione, vel consilio.

69 Alie remissive.

JEJUNIUM secundum etymologiam nominis dictum est à jejuniō intestino quodam animalis, quod semper vacuum, & subtile est, quod nimirum Jejunium hominem cibo vacuum, & consequenter non pinguem, sed macrum, & subtile reddat; Sporet tom. 1. Append. 2. neratim sumptum est quadruplex, scilicet spirituale, naturale, morale, & ecclesiasticum. Jejunium spirituale est abstinentia à vitis, & illicitis voluptatibus, ut habetur expresse ex cap. Jejunium 24. dist. 5. de consecratione, ubi ex verbis S. Augustini sic præcise dicitur: Jejunium autem magnum, & generale est abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum Jejunium, & cap. 58. Isaia, ibi: Nonne hoc est magis Jejunium quod elegi? Dissolvas colligationes impietatis. Et S. Basilus hom. 1. de Jejunio dicit: Verum Jejunium est ab omnibus vitis esse alienum. Jejunium naturale est abstinentia ab omni protus cibo, & potu etiam per modum medicine in stomachum transmissio, quale Jejunium à tempore mediæ noctis requiritur de præcepto ecclesiastico ad sumptionem Eucharistia, nam, ut ait S. Augustinus Epist. 118. ad Januarium: "Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, prius in os christiani Corpus Dominicum intraret, quam reliqui cibi, nam ideo per universum orbem mos ille servatur." Idem traditur in Concilio Africano can. 8. Carthagensis. 4. & 29. quæ extant tom. 1. Conciliorum. Item in Concilio Matiscon. cap. 6. Antiodorensi c. 19.